ACAD.
LUGD.BAT.
BIBL.

Clarissime D[omi]ne: Quanti apud exteros sis, ut Auster olim et Occidens fassi sint, primus fortasse Septentrio profiteri coepit: jamque non, ut olim, foras nominis tui fama, sed foris domum trans mare currit. Jonstoni Elogium, de quo loquor, sive videris, sive segnior vanden Burghius fuerit, cui permittendum tradideram, dilatus ipse negotijs ab hoc genere amoenitatum alienissimis, gratulor sane peregrini vatis plausum, et in eo totius Scotiae, ubi cythara extare creditur: quanquam, meo judicio, ut inter maximi Psalmistae poetas censeatur, nondum absolute meruit. De Te, Barlaee, quem nemo Scotus, nulla Scotia satis laudet, liberalius loquor, et quid, post Renobyghii plurias, quas bini ad me amici misere, utrum pangas rogo. Illud vero maxime, ne offensus nimium frequenti silentio meo, ad quas humanissime litteras ad me dedisti, et sextum irritationis optimo jure tuo statuas, frustra tandem conandum inter loquacissimos amicos, qui quasi ex voto vel jurejurando semel silentium compellatus nil respondere. Ita enim Musae me, et Musarum Scoticarum amor Barlaeus amem, procul ab illo institutus sum; et cum ad litteras tuas aut poemata saepe sileo, quarum soli laudes omnium oratorum facundiam excedunt, partim culpae occupationibus tribui volo, quas me nec fingere nec simulare nosti; partim tibi, quod non nosti; qui, laudabilis olim, ut humanitati nostri videbatur, tandem elogium omne meum tecum excessisti, sane exhausisti, lassasti. Silentium denique balbutienti

Pap. 2

Barl.

novo nimioque dicendi argumento quotidie imponis. —
Et quis neget opportune scotos laboranti Bataviae
succurrere? Quibus ut te totum tradam, finem
infelicis oratoriae, inter tam dissonos strepitus, abruptè
facio, meo more, an fato. Vale vir summe, et
utcunque loquar aut sileam, amari te et aestimari
ut meritis ardeo à

Scripsi tuo

Noviomagi circa mediam
noctis 18. Aug.ti CIƆIƆCXXXIV.

CHuygens

Praestantiss.o Vossio tantum nunc
salutem dici cupio, scripturus propediem, et moniturus prudentissimum
autorem de nonnullis, quae illustrandae Historiae, quam feliciter prolixam,
apprime, ni fallor, conducere judicabit. Vendelinum item et Carianum
nostrum saluto, viros nescio an ignotos sibi, certe non notos satis omnibus.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
PAP 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/985

© Universiteitsbibliotheek Leiden
PAP 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/985

© Universiteitsbibliotheek Leiden
PAP 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/985